

quam per illam doctrinam erant consecuti I. Cor. III, 5. erant
 revera *regenerati per illud evangelium* I. Cor. IV, 15. erant
justificati et sanctificati I. Cor. VI, 11. Erant *templa Spiritus S.*
 et fruebantur ejus *inhabitatione* I. Cor. III, 16. *Evangelium*
 non modo vera fide erant *amplexi*, verum etiam in ea *sta-*
bant. I. Cor. XV, 1. *confirmati* haecenus per Spiritum S. ul-
 terius etiam per ejus gratiam, nisi reniti inciperent, *conser-*
vandi, quae ipsa PLENITUDO est seu κατάρτισις quam
 Paulus ipsis adeo serio exoptat. 2. Cor. XIII, 9. non in *per-*
fectione graduum aut partium, quoad sanctimoniam vitae
 omnimodam, quaerenda, utpote quam ne Paulus quidem
 in se ipso, utut et regenito, et peculiaribus et assistentis
 et inhabitantis Spiritus S. donis exornato, deprehendebat,
 Rom. VII, 14. sq. sed in *constantia in fide*, ut et immota per-
 severantia *in opere domini* et *studio verorum operum bono-*
rum, utpote quod certo noverint DEO propter fidem pla-
 cere, nec *vanum aut sine praemio esse.* I. Cor. XV, 58.

IX.

Quis itaque dubitet, Corinthiacae ecclesiae purita-
 tem et simplicitatem, quam laudat Apostolus, constituisse
 in *doctrinae*, ab ipso propositae, *sinceritate*, ut et *fidei*, qua
 tenebant illam et acceptabant, *genuina* et candida indole,
 nihil praeter salutarem evangelii promissionem desideran-
 tis et unice Christo eiusque cognitioni inhaerentis. Unde
 admodum notanter dicitur ἀπλότης εἰς χριστόν: non saltem
 ratione termini a quo, quoniam a Christo tanquam ἀρχηγῶ
 καὶ τελειοτῆ fidei Hebr. XII, 2. omne salutis et eo pertinen-
 tium mediorum auspiciū ac virtus dependet: nec saltem
 respectu termini in quo, utpote quem rursus Christus con-
 stituit, et *in quo* Corinthii perinde ut alii fideles erant per
 fidem radicati et fundati Col. II, 7. adeo ut omnem doctri-
 nam, quae a Paulina institutione circa locum de Christo
 pro